

E. 7. num. 26.

DISPUTATIO INAUGURALIS
JURIDICO-CANONICA, 1704, 2
DE

L E G E
D I C E S A N A ,

Quam
SUB PRÆSIDI O DIVINI NUMINIS
EX DECRETO & CONSENSU MAGNIFICI
JCTORUM ORDINIS
IN PERANTIQA ELECTORALI AD GERAM
UNIVERSITATE

P. 360.
PRO LICENTIA,

Summos in Utroque Jure HONORES & PRIVILEGIA DOCTORALIA rite &
solemniter consequendi,
Publica Eruditorum Disquisitioni
submittit


GEORGII FRANCISCUS
IGNATIUS ITTNER,


AA. LL. & Phil. Magister,
In Auditorio JCTORUM Collegij Majoris

Die 31. Maij, M. DCC. IV.

ERFFORDIÆ , Literis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

KÖNIGLICHE
UNIVERSITÄT
ZU HALLE





CAPUT I.

DE

*Quidditate Legis Dioecesanae ejusque speciebus
in genere.*

§. I.

 Ntequam descriptionem Legis Dioecesanæ adducam, quædam de illis, quæ ad jus Episcopale pertinent & sub illo continentur, veniunt prænotanda, ubi in assignatione iurium Episcopo in suâ Dioecesi competentium gravissimos DD. inter se acriter contendere cernimus, dum illius juris alij unum, alij duo, alij tria, alij denique quatuor, constituunt capita.

§. II.

Innocentius quartus Pontifex *ad cap. 18. X. de offic. jud. ord.* unum tantum jus Episcopi esse tradit,

A 2

quod

quod Legem Dicecesanam vocat, sub qua cum jurisdictione totum ejus jus, quod in Dioecesi sua exercet contineri existimat. Alii, potestatem Episcopalem occasione distinctionis ab Honorio tertio in cit. cap. 18. Suppeditatæ cùm Gloss. ibid. in Legem Jurisdictionis & Legem Dioceesanam dividendam judicant. Lud. Engel. Colleg. jur. Can. ad Tit. de censib. n. 1. Alii moti cap. aqua. q. x. de consecr. Eccl. vel altar. jus læpe dictum partim ordinis partim jurisdictionis esse contendunt. Alii ita dividunt ut quædam ad jurisdictionem, quædam ad ordinem, quædam ad simplicem dignitatem referant, uti faciunt post Anton: de Buitrio Consil. 19. quod incipit: in nomine Patris. August. Barboſa juris Eccl. univ. Lib. 1. cap. II. §. 2. n. 95. Fagnan. ad cap. dilectus x. de offic. jud. ord. n. 4. Alii in assignandis quatuor capitibus se occupant, dum alia ordinis, alia jurisdictionis, aliaque Legis diocesanæ, alia dignitatis esse contendant. Et licet omnes hæ distinctiones commentitiae ac solitum nudè magistrales esse videantur, tamen ideoque vocabulo jus Episcopale vocari possint, adeoque eas multâ quasi confusione traditas ne-

boup

gare

5. 20

gare siveque scopulos omnes in vasto juris canonici oceano inde occurrentes evitare liceat.

§. III.

Cum tamen per recentiores summorum Pontificum decretales, si non plane confirmantur, saltem in eisdem de ipsa re fiat mentio ac hactenus Canonistarum dogmatibus, quamvis diversitatem aliquam inter se habeant, comprehendunt ac dudum receptae inveniantur, illas penitus rejicere religioni duco, sed opinionem meam adjicere & occasione cap. cit. 18. de officio jud. ord. junct. cap. aqua 9. de consecrat. Eccl. vel altar. jus Episcopale cum communioyi sententia dividere lubeat, (1) in illa quae sunt ordinis, (2) quae sunt jurisdictionis & (3) quae sunt legis dioecesanæ.

§. IV.

Negandum quidem non videtur ordinem ad legem jurisdictionis suo modo etiam referri posse quatenus ordinandus de jurisdictione Episcopi ordinantis esse debet, siquidem ordo collatus ab Episcopo non habente jurisdictionem in ordinatum, nec per se, nec aliunde ipsis legitimâ authoritate concessâ, licet imprimat characterem, non enim destituitur Episcopus talis ab

A 3

lolutâ

solutâ ordines conferendi potestate, non tribuit tamen ordinato ordinis vel ordinum collatorum exercitium seu executionem *Caus. 9. qu. 2. per totum.* Imo Episcopus conferens alicui ordines, quem scit non esse de suâ Jurisdictione, suspensione per annum à collatione ordinum punitur *cap. 2. cap. 4. de tempor. ordin. Et qualit. ordinand. in 6. Consil. Trident. Sess. 23. de reformat. c. 8.* ordinatus etiam ab Episcopo alieno non obtentâ legitima licentia, ipso jure à collatorum ordinum executione est suspensus, in tantum, ut si illas exerceat sive sint minores, sive maiores ante impletam absoluti-
onem irregularitatem incurrat.

§. V.

Non tamen exinde absolute inferri potest, illa quæ sunt ordinis & quæ sunt jurisdictionis inter se non differre; quod vel ex eo patet, quod actus jurisdictionis alicui delegari, actus ordinis autem ordines non habenti non possit *cit. cap. aqua. 9. consecrat. Eccl. vel altar.* Sic videmus quod delegatus S. Pontificis, qui Episcopus non est, quamvis ampliorem jurisdictionem, quam Episcopus habeat. *cap. sane 11. de offic.* Et potest. *judicis deleg. cap. 28. Et 29. eod.* ipse tamen or-
dinare

dinare, aliosque actus ordinis Episcopo proprios,
exercerenon possit, sic non potest chrisma confi-
cere, fontes baptizatorum chrismate signare, con-
secreare Episcopos illosque degradare, ordinare
sacerdotes, Diaconos & subdiaconos, item Ec-
clesias novas consecrare, pollutasque reconciliare.
&c. Quæ autem competunt Episcopo, sed per pri-
vilegium, consuetudinem, aut præscriptionem
alteri poslunt concedi, delegato S. Pontificis Ab-
bativ. g. competunt. Quorūm referri videntur
consecrare utensilia Ecclesiarum & vestimenta lacer-
talium, campanas benedicere, ordines minores
conferre, publice pænitentes in missa reconcilia-
re &c.

Ex quibus facile patet, quam amplius & dif-
fusus juris Episcopalis existat campus, quamque
varia sub illo contineantur, proinde omniā discu-
tere nimis prolixum & à loco dissertationis in-
auguralis alienum fore, prout de hac materia exē-
stantes integri tractatus & volumina præprimis
August. Barbos. de jure Episcop. opus in fol. satis
innuunt. quare in aliqua illius parte & quidem
illâ, quæ ad Legem Diocesanam pertinent mo-
dui

duli ingenii vires periclitari animus est & his præmisitis ad rem ipsam me proprius accingere.

§. VII.

Ubi primo se offert definitio, à qua incipiendum esse, communiter traditur, ut natura ejus de quo tractandum, innoscet, sicut autem omnis definitio secundum L. 202. ff. de Reg. jur. in jure nostro periculosa pronunciatur, addita ratione: parum est enim, ut non subverti possit, sic accuratioribus Dialecticorum præceptis non inhærebo, sed rem de qua agendum proposui, ita delineabo, ut saltem de eo constare possit, quod tractandum venit.

§. VIII.

Quid nomine Legis Diœcesanæ veniat, non eadem omnium est Sententia. Panormitanus in Cap. *Dilectus de offic. judic. ord. n. 4.* ea Legis Diœcesanæ esse existimat, à quibus Monasteria regulariter de jure communi sunt exempta, reliqua vero pertinere ad Legem jurisdictionis ad eoque, qui asserit, aliquid esse de Lege Diœcelana, teneatur illud probare, cuius sententiā sequitur *Barbosa de offic. & potestate Episcopi Part. I. Tit. 1. n. 15. Fagnan. ad citat. cap. dilectus 18.*

n. 3.

n. 3. in fin. Pirrbing, ad eund. Tit. n. 45. Verum
quomodo sic obscurum per æque obscurum ex-
plicetur, examinanti facile patet, non dicam, quod
quodammodo petitio principii sit & Monasteria
male juris diæcesani norma constituantur.

§. IX.

Magis placet sententia *Glossæ*, quam refert
& sequitur *Engel* in *Tit. de Censib. n. 1.* quod illa
quæ consistunt in recipiendo, sive exactiones,
quas Episcopus de suis Diæcesanis petere ac re-
cipere potest, seu ut loquitur *Hostiensis*, quæ con-
sistunt in passione dulci, sint de Lege Diæcesana,
quæ vero consistunt in agendo vel dando sint
de Lege jurisdictionis. Utrum autem præstet
Legem Diæcelanam, an vero jus diæcesanum
vocare, inutilis est quæstio, cum jus pro lege et-
iam sumatur & hæc pro synonymis passim usur-
pentur, mens autem non sit cùm illis contendere,
qui nodum in scirpo quærunt & de nomine quæ-
stiones inutiliter movere amant, sed cùm illæ ex-
actiones, seu quæ in recipiendo consistunt, speciali-
bus gaudéat nominibus dum exactio alia, Census,
aliæ Cathedraticū, alia procuratio, alia charitativū

B.

sub-

subsidium & denique alià portio canonica dicatur de singulis separatim agendum, sit itaque

CAPUT II.

DE Censibus.

S. I.

Ensis à censendo regulariter dictus non unà in jure nostro significatione sumitur, sic jure civili generaliter sumitur, pro omni eo, quod annuatim vel certis annitemporibus in certa quantitate præstatur, quo sensu tributum sub se continere innuit L. et atem 3. ff. de censib. aliquando autem personarum rerumque descriptionem in ordine ad tributa solvenda indigitat L. 2. §. 17. ff. de O. J. Struv. Syntagm. J. C. Exercit. 50. th. 90. Imo ipsum tributum & pensationem publicam denotat, quâ ratione alias census capit, alias soli, alias pecorum aliarumque rerum vid. L. 8. §. 7. ff. de Censib. sæpius etiam accipitur pro pensione, qmæ ex contractu debetur ob translationem dominii sive directi sive utilis. Et debetur vel ob



ob reservationem expressam & vocatur Census reservativus, qualis reperitur *casus in L. ult. C. de rerum permut.* vel mediante contractu emptionis venditionis imponitur, & impositius vocari solet, eodem modo Canonem annum denotat ab Emphiteuta in recognitionem dominii praestandum.

§. II.

Ad propositum autem nostrum, est onus reale Ecclesiæ impositum, vel clarior; est pensio sive redditus annuus, qui ex patrimonio Christi ab Ecclesiis, Monasteriis, aliisque piis locis debetur vel ipsis superioribus, Episcopis, vel aliis quibus de jure aut privilegio competit, in signum subjectionis c. 2. x. de Censib. exact. & procurat aut etiam protectionis vel acceptæ libertatis cap. 8. x. de privileg. & Excess. privilegiat. cap. 6. x. de relig. domib. aut etiam inferioribus, intellige Patronis sive Clericis sive Laicis, idque intuitu foundationis, constructionis aut dotationis vocarique solet census Ecclesiasticus, cuius origo non immrito consuetudini Ecclesiæ videtur ascribendus; primæveenim Ecclesiæ redditus tūm Ministris Ecclesiæ tum pauperibus erant communes C. 12. q. 1 per tot.

Postquam autem singulis Ministeriis certi fuere assignati redditus, ut colligitur ex c. 23. 25. 26. & 27. *Caus. 12. quæst. 2.* inde evenit, ut in fundatione Ecclesiæ vel etiam in ejusdem consecratione Episcopo vel Patronis certus census annus communiter reservatus fuerit, quem publicum vel privatum faciunt, illum Episcopo assignant, hunc Patrono, qui Ecclesiam fundavit, construxit vel dedit, cum hac tamen moderatione, ut huic non aliter debeat, quam si censum in fundatione, constructione vel dotazione sibi reservaverit, quod quin facere possit, vix dubium resultat, eo quod quilibet rei suæ legem dicere, adeoque Ecclesiam conditione annui census in enumeratis gravare lex valeat, cuius arbitrio relinquitur, an eam amplecti, aut repudiare velit.

s. III.

Census in posteriori sensu acceptus, alias antiquus est, alias novus. Antiquus vocatur, qui in fundatione vel consecratione Ecclesiæ ab Episcopo vel sibi est reservatus vel etiam aliis legitimâ de causa constitutus cap. 23. x. de jur. patronat. Cap. 16. x. de Censib. exact. & procurat. P. Engel ad Tit. de Censib. n. 2. Novus dicitur, qui post consecratio-

tionem Ecclesiæ imponitur, quæ tamen impositio
regulariter censetur esse prohibita cap. probibe-
mus 6. x. de Censib. cap. 7. eod. quod in tantum
obtinet, ut nequidem census veteres augeri pos-
sint, siquidem inde novum onus resultat.

S. IV.

Quæstio hic movetur. Utrum Episcopus,
qui eruit Ecclesiam de manu vel potestate Laici,
ideo censum novum illi Ecclesiæ imponere va-
leat? Affirmativa inde forsitan stabiliri videtur,
quod valide & licite hac faciat non tantum tem-
pore fundationis & consecrationis ; sed etiam ,
quando eam de potestate sua dimittit, multo ergo
magis hoc ipsi facere licebit , si talem quoad jus
Patronatus eruat de manu & potestate Laici, no-
vam illi libertatem acquirendo, verū hoc non ob-
stante contrarium ab Alexandro 3. in c. Ecclesiis 9.
de Censib. Exact. Et proc. decisum legimus; ratio deci-
dendi videtur, in eo consistere, quod, si Laicus in
justè Ecclesiæ detineat, ejusq; libertatis jura temera-
rio aulu invadat, ad munus & officium Episcopi
pertineat, partes suas interponere & e. us jura vindic-
are, ubi autē officii necessitate constrictus aliquid
facit, liberalitatem non censetur exercere arg. 1. 18.

B. 3.

adiment.

de adimend. vel transfer. legat. adeoq; præmium vix inde reportabit. Sed quid dicemus, si Laicus juste, ut fieri posse ex tit. de jur. patronat. constat, Ecclesiam detineat,anne hoc calu, si eam liberet de manu ipsius, prohibetur censum imponere? censante enim prohibitionis ratione ipsa quoque cessat prohibitio , sed prohibitionis rationem hic cessare non male negamus, quod generalis obligatio Ecclesiarum libertatem & utilitatem promovendi ipsum urgeat.

S V.

Si vero Episcopus censum novum Ecclesiæ imponere attentaverit, factum hoc ipso jure irritum pronunciatur cit. cap. 7. de censib. in fin. adeo, ut nequidem ad instantiam Patroni fieri possit, nec juramentum, quo novi census præstatio promissa teneat, cap. 15. eod. multo minus fidejussio, cum accedat actui, ipso jure nullo, stringat, ne dicam quod arbitraria pæna contra attentantes locum habeat, ad quam semper recursum habemus, si in jure nulla certa determinata sit. Non obstat cap. 11. eod. ubi suspensiō & Remotio à beneficio statuta videtur. Siquidem capitulum loquitur de collusione interveniente in collatione bene-

beneficii & de vitio simoniaco, si quis enim ea
lege censum annum promitteret, ut beneficium
consequatur, a pacto Simoniaco excusationem
non meretur & penas in Simoniacos statutas in-
curret, quod in casu nostro secus est.

§. VI.

Alia divisio est; Censum vel esse perpetuum
vel temporalem. Illum nominamus qui perpe-
tuò durat, hunc, qui ad breve tempus. Perpe-
tuum tempore fundationis & consecrationis im-
ponere, prohibitum non est, ex post vero non
nisi gravioribus de cauīs adhibitisque solennitatibus
debitis, cum alienationis speciem involvat,
quæ hinc solennitatibus requisitis nullitatis judi-
cio subjacet; quorsum consensus Capituli, nisi
consuetudine, quæ merito obtinet & tanquam
matrem venerari convenit, aliud obtineat, refe-
rendus venit. Sed non eò solennitates judico
extendendas, quo minus, si justa deficiat causa,
ex non sufficient & facta impositio non teneat.
C. 52. Caus. 12. quæst. 2.

§. VII.

Censum econtra temporalem ista prohibi-
tio non afficit, justa enim interveniente causâ re-
ete

Et imponitur. Causæ autem enummeratur (1) si recipiens beneficium litigiosum voluntariè cedenti certum annum censum præstare velit (2) si beneficiatus ægrotus aut decrepitæ ætatis, refervatâ sibi pensione quadam alimentorum loco, beneficio renunciet. (3) Si ad sustentationem pauperum, Scholarium & miserabilium personarum adhibetur. (4) Secundum Tridentinum Sess. 23. cap. 18. de reformat: Si Episcopus velit Serainarium aliquod erigete eum in finem ut adolescentes non minus in studiis quam disciplina Ecclesiastica imbuantur. (5) denique si pro necessitate Ecclesiæ Cathedralis ad ejus reparationem aut solvenda debita pro Episcopatu contracta imponatur. vid. Barbosade Offi. Episc. p. 3. alleg. 89. n. 5. Engel ad Tit. de Censib. n. 3. § 5. }

CAPUT III.

DE

Portione Canonica Episcopo debita.

§. I.

Dicitio canonica sic dicta, quod canonibus natales suos debeat in duplice est significacione, alia enim est, quæ debetur

tur Ecclesiæ parochiali, vel ipsius Rectori de Legatis singulis factis Ecclesiæ, apud quam sepultura eligitur. cap. super. 8. x. de sepultur. vid. Ernricus Pirrhing ad Tit: de sepulturis. §. 6. Alia est, quæ debetur Episcopo ab Ecclesiis suæ dioecesis consistitque in certa bonorum portione ipsi Episcopo ex triplici ratione debitâ; primò in recognitionem superioritatis, secundo ob communicationem, quæ intercedit inter Episcopum & Ecclesiæ, tertio ob curam & onus in administratione sui Episcopatus, cælestisque pabulum quod Ecclesiis inferioribus impertitur, ac in hoc negotio ex dispositione juris communis semper Episcopus fundatam censetur habere intentionem

§. II.

Dividitur portio canonica in quartam relictorum ad pias Causas, & in quartam decimationum, quo ad priorem dicitur certa portio, quæ debetur Episcopo de omnibus legatis, quæ in determinate piis locis relicta sunt; jure quidem veteri quarta erat pars, unde etiam adhuc quarta vocatur, alt postea assignatio facta partis tertiae alicubi sine onere, alibi vero cum onere curandæ fabricæ in Ecclesiis inferioribus. Cap. priscis. Caus. 10. quest. 3. Debetur autem hæc portio quibus,

C

cunque

Cunque locis aliquid relinquatur, sive Monasteriis, sive hospitalibus non tamen indistincte, de quo vid. *Barboſa de officiis. Et potest. Epifc. P. 3. alleg. 75. n. 46. Et 47.* nec non in genere de omnibus piis locis authoritate Episcopi erectis. Cum antem vix ulla regula sine limitatione sit & hic quasdam observavimus

S. III.

Sic limitatur (1) si legatum relinquatur loco exempto ab Episcopi jurisdictione, cessante enim legis ratione, communiter ipsa legis dispositio cessare debet, siquidem locus exemptus ad quartam non obligatur in recognitionem superioritatis, cum Episcopi jurisdictionem non agnoscat, adeoque tam communicatio, quam cælestis pabulum cessare videtur. Sed quid dicendum, si quid relictum Ecclesiæ tempore conditi testamenti subjectæ, tempore vero mortis testatoris exemptæ, vel econtra exemptæ tempore facti testamenti, subjectæ vero mortis tempore? & respondetur primo casu quartam non deberi, altero vero eam recte exigi, ratio est, quod utroque casu inspiciendum sit tempus quo Legatum cedit l.s. ff. quand. dies legat. vel fidej. cedit. cedit autem notoriè tempore mortis testatoris. (2.) limi-

19. 80

limitatur: si quid legetur pro annuis solennitatibus
in Ecclesia habendis, ut sunt anniversaria, vel pro
constituenda præbenda aut extruendo altari (3)
si legetur pro fabrica Ecclesiæ, vel rebus ad per-
petuum cultum divinum pertinentibus cap. ult.
X. de testament. (4) si in genere legetur pauperi-
bus, quia relictæ personis, non dicuntur relictæ
piis locis, secus tamen est si legatum relictum pau-
peribus certi loci. vid. Barbos. cum allegat. DD. de
offic. Et potest. Episc. P. 3. alleg. 86. n. 22. (5) si quis do-
naret Ecclesiæ per modum donationis inter vivos,
(6) si subditus Episcopi relinquat pio loco extra Di-
œcesin Episcopi lui situ (7) si relinquatur aliquid
pro dotandis puellis singulis annis, ita tamen, ut hæ
numero pauperum veniant, alias enim si divites
sint, ad legata piæ causæ ejusmodi relictæ non ve-
niunt referenda Barbos. L. c. n. 27.

S. IV.

Quoad quartam decimarum, quæ Episcopo
debetur ex omnibus decimis parochialibus Diœ-
cesis, olim quandoque erat dimidia pars, C. 8.
caus. 10. q. 1. quandoque tertia cum onere tamen
curandæ fabricæ. c. 3. Caus. 10. q. 3. c. 7. Et 10.
caus. 10. q. 1. Ex post vero quarta fuit determinata

C 2

cap.

cap. 16. ix. de censib. exact. & procurat. exigitur autem hæc à Parocho, vel Ecclesiæ parochialis Rectore, non vero immediate ab ipsis Parochianis, hi enim tenentur Ecclesiis; Ecclesiæ autem Episcopis. Quod si vero Parochus per negligentiam, aut dolo malo à Parochianis decimas debitas non receperit; Episcopus jure proprio contra Parochianos pro obtainenda sua portione canonica agere non prohibetur, cum in prædijs decimationi subiectis jus reale & coæquale cum Rectoribus Ecclesiarum parochialium habeat; quod jus negligentia aut malitia Rectorum Ecclesiarum intervertere nequit, cum à jure Rectorum non dependeat. Imo, si velit, licitum ipsi est agere pro omnibus decimis consequendis, nomine tamen Ecclesiæ parochialis, cum ad officium ejus pertineat, ne Ecclesia damnum incurrat. Ex his consequitur, Monasteria, Ecclesiæque inferiores ad hanc quartam de jure communi non teneri, præsertim cum etiam hoc jure decimæ ad ipsas non pertineant. *Barbos. de offic. & potest. Episc. P. 3, all. 86. §. 2. n. 34.*

CAP.

CAPUT III.

De Synodatico seu Cathedratico.

§. I.

Synodaticum inde dictum, quod ratione Synodi, quam Episcopus in sua Dioecesi celebrat, solvatur, etiam quandoq; Cathedraticum appellatur, quod in honorem Cathedræ Episcopalis debeatur. Consitit autem in certa pecunia, ad quam præstans dam tenentur omnes Clerici, in signum subjecti onis, obedientiæ & honorem dignitatis Episco palis, quantitas olim ad duos solidos restricta legitur, sed, cum solidorum genuinus valor hodie putetur ignorari, hinc alii in horum locum aure um, alii Ducatum substituunt, in solutione ca thedratici vel ad propriam cuiusque Ecclesiæ vel aliarum cathedralium justam ac rationabilem convetudinem erit recurrendum, cum autem testante experientia in quibusdam locis cathe dratici solutio non fiat & abrogata contendatur.

Hinc

§. II.

Quæstio moveri potest; utrum Synodatici seu cathedratici solutio præscriptione aut con

C 3

ive

Svetudine tolli posse? & licet de præscriptione
immemoriali hoc communiter statuatur, eò
quod vim privilegii habere censeatur cap. super
quibusdam x. de V. S. Major tamen de præscri-
ptione ordinaria est difficultas. Negantium o-
pinio hoc inititur fundamento, quod Cathed-
aticum debeatur Episcopo in signum subjecti-
onis, obedientiæ & honorem Cathedræ, contra
obedientiam autem & subjectionem nulla obti-
nere possit præscriptio, siquidem inde quædam
repugnantia, confusio, omnisque generis malum,
cum quo stare Ecclesia vel quæcunque alia com-
munitas aut Respublica non possit, induceretur,
quilibet enim acephalus, seu sine capite vivere in-
tenderet, cum autem ita stare universitas non
possit, recta lane ratio suaderet, talem præscripti-
onem, cum motivis, quæ præscriptionis jura pro-
crearunt, subsistere non posse add. cap. 12. x. de
præscript. Verum fundamentum hoc à scopo &
controversiæ statu, ut statim patebit, ab errare
videtur, unde quæstionem affirmative decidere
non hæsito, ratio fundamentalis in eo est, quod
illa, quæ privilegio acquiri possunt & quibus con-
suetudo & præscriptio expresso jure prohibita

non

svi

non est, in illis locum habere possit, sed immunitas à cathedralico privilegio acquiri potest, & nullus adeat juris textus, quo præscriptio & consuetudo contraria prohibetur. Ergo. Nec movet fundamentum ante adductum, cum inter solutionem cathedralici & præstationem obedientiæ seu subjectionem maxima intercedat differentia, obedientia enim vel subjectio multis aliis modis exhiberi potest, quamvis numeratione certa pecunia summa non fiat; adeoque hæc separabilia sint ac unum per alterum non vitietur, aliud itaq; est contra obedientiæ & subjectionem, aliud contra cathedralicū præscribere. Imò & quandoq; contra obedientiam & subjectionem præscriptio procedit, non quidem extinctivè, ut aliquis efficiatur acephalus, de quo casu intelligendum cap. alleg. 12. de præscript. sed translative, ita ut obedientia debita huic Episcopo, transferatur in alium seu patet ex cap. auditis 15. eod.

CAPUT IV.

De Procurationibus Debitis Episcopo ratione visitationis.

s. I.

Veniunt hic procurationis nomine expensæ, quæ Ecclesiæ prælatis, ad quorum officium pertinet Ecclesiæ tam regulares, quam sacerdotes visitare, debentur, consistuntque in victu & sustentatione statui congrua & porrigena ex redditibus Ecclesiæ visitatarum. Est autem visitare nihil aliud, quam in excessus inquirere, inquisitos pro re nata castigare & emendare, atque obligationis observantiam, juxta cujusque personæ aut rei exigentiam, ubi adhuc viget, conservare, aut ubi defecit in pristinum vel etiam meliorem statum restituere & collocare vid. Barbos. de Offic. & potest. Episc. P. 3. alleg. 73. n. 1.

§. II.

Pertinet autem visitandi potestas ad illos, qui competenti jurisdictione in Ecclesiæ vel Clericos gaudent, quales post Romanum Pontificem sunt (1) Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi in suis Provinciis & Dioecesibus. (2) Legati à Latere ex officio Legationis, jure specialiter demandato à sede apostolica, Legati nati, ratione dignitatis, in qua sunt constituti; Legati missi autem non aliter,

aliter, quam si in specie ipsis hoc impositum sit
Barbos. L.c. n. 21. (3) Vicarij summi Pontificis in
territorio ipsis assignato, Cardinales in Ecclesiis
suorum Titularum (4) Capitula Ecclesiarum cathe-
dralium sede Episcopali vacante ratione Ecclesia-
rum ad Diocesin pertinentium, sede vero non va-
cante, non aliter, quam si ipsis in unam alteramq;
Ecclesiam ex speciali privilegio concessum sit. (5)
Archidiaconi, Decani & similes, si vel præcri-
ptione, consuetudine legirimâ aut speciali privile-
gio tale jus acquisiverint. (6) denique Præpositi,
Abbes, Piores iisque qui præsunt Monasterijs
in locis sibi subjectis, ubi tamen advertendum est
reguraliter visitationis jus ad solos Episcopos de ju-
re communi pertinere, eosque jure proprio illud
exercere, adeoque qui insuper illud habere con-
tendunt, ad prætensi juris probationem obligari.

§. III.

Visitare Diocesin suam semel in anno per-
missum est Episcopo cap. conquerente. 10. x. de
offic. jud. ordin. c. 10. § 11. caus. 10. quæst. 1. nisi ta-
men crebriorem visitationem ipsa exposcat necce-
sitas cap. mandamus. 6. x. de offic. Archi-Diac. c.
28. § 29. Caus. 18. quæst. 7. Qualis autem in vi-
sitatio-

D

sitationibus ordo servandus prescribit cap. *Romanæ 1. de censib. in 6.* circa quatuor autem visitatio regulariter instituenda, videlicet circa personas res loca & munera, quæ pluribus exemplificat & prosequitur *Prosper Fagnan ad dictum cap. conque-rente de offic. jud. ordin. n. 61.*

§. IV.

Qvæstionis non infimæ est, utrum etiam Episcopis Ecclesiæ, exemptas vel nullius Diœcesis visitare permisum sit? Ad quam Resp. Ecclesiæ in Diœcesi Episcopi sitæ, sed exemptæ vel seculares, vel regulares sunt. Si seculares Episcopus illas indistincte visitat tanquam sedis apostolicæ delegatus Tridentin. Sess. 7. cap. 8. de reformat. sive sint commendatæ, sive curatae, sive non vid. Sess. 21. Cap. 8. de Reformat. Velsunt Regulares, hoc casu si viget observantia regulæ vel habent curam animarum annexam, & visitari poterunt circa ea, quæ curam animarum sacramentorum que administrationem concernunt. Trident. Sess. 25. Cap. 11. de Regular. Vel curam annexam non habent, & visitatio non censetur permista sive commendatæ sint, sive non, facultas enim visitandi monasteria commendata ad illa restringitur, ubi regu-

regulæ non viget obliterantia dict. Sess. 21. Cap. 8.
 adeoque si regula non obliteretur, tum si sunt
 commendatae, sive habeant annexam curam sive
 non, ab Episcopo tanquam ledis apostolicæ de-
 legato rectè visitantur, limitatur tamen in Mona-
 sterijs, quæ suis ordinibus sublunt, licet regulam
 non obliterent Trident. Sess. 25. cap. 20. de Regu-
 larib. & in Ecclesiis regularibus exemptis; quæ
 nec curatæ, nec commendatae sunt. In tantum
 autem, ubi visitandi potestas Episcopo competit,
 ea obtinet, ut, si Monachi Episcopum visitare
 volentem prohibeant, vel intrömittere nolint, o-
 stia forsan claudendo, fas sit Episcopo ostia in-
 fringere; imo absque præmissis monitionibus in
 actu manifestæ repugnantiæ & contumaciæ ad
 iurium suorum defensionem renientes excom-
 municare vid. *Latius Barbosa de offic.* Et potest.
Episcop. P. 3. alleg. 74. n. 22. Sin autem perso-
 nalem Ecclesiasticarum personarum exemptione
 considerare velimus & iterum personæ per-
 sonaliter exemptæ vel laiculares sunt, vel regulares.
 Si laiculares & curam animarum gerunt,
 & visitationi, quo ad illa, quæ curam concernunt,
 subjacent, *Trid. Sess. 25. cap. 11. de Regularib.* Si

autem curam animarum non habeant, & tunc
authoritate Pontificis delegata visitari poterunt
non obstantibus quibuscumque privilegiis Trid.
Sess. 6. cap. 3. de Reformat. Si vero sine regulare
s & extra claustra degant, jurisdictioni & visi
tationi Episcopi tanquam sedis apostolicæ dele
gati subsunt. *dict. Sess. 6. cap. 3.* Quando autem
in claustris vivunt regulariter à correctione &
jurisdictione Episcopi sunt immunes Trident. *Sess.*
25. cap. 20. de Regularib. Fagnan. ad cap. grave 19.
X. de offic. judic. ordin. n. 28. & seqq.
Ecclesiæ nullius diœcesis vel iidem sunt sacerdotes
& Episcopus cuius Ecclesia cathedralis proximior
est, ut delegatis sedis apostolicæ eas visitat & cor
rigit, vel regulares sunt, & non visitantur sive sine
curatæ vel commendatæ, sive non Trident. *Sess.*
24. cap. 9. de Reformat.

§. V.

His præmissis facile constare potest, qui ad
procurations præstandas obligantur, siquidem
ratione visitationis debeantur. Dum enim visi
taentes in utilitatem Ecclesiarum, quas visitant,
spiritualia leminent, jure merito ab ipsis tempo
ralia & procurations ad suam suorumque suspen
tatio-

tationem recipiunt, nam seminarī spiritualia, licebit metere carnalia & temporalia; nemo enim propriis stipendiis militare cogitur *i. ad Corinth. 9. cap. 16. x. de prescript.* Nec refert, quod visitantes quandoque ampliores habeant redditus ad sustentationem illorum abunde sufficientes, per hoc enim visitati non eximuntur à procurationibus solvendis; partim quod debeantur etiam in signum subjectionis; partim ut eo magis Episcopi allicantur ad visitationem & ne, dum propriis stipendiis eam subire cogerentur, negligenter efficiantur. Nec Simoniae hic adest periculum, non enim dantur procurations in premium visitationis & correctionis, sed ratione laboris ut debitum stipendum; Sicut in Simili Canonici recipiunt distributiones quotidianas, si divinis intersint officiis, licet ad illa aliunde obligentur.

S. VII.

Tenebuntur ergo generaliter omnes, qui visitari possunt, est enim procuratio visitationi annexa *cap. 21. de censib. & exact. nisi speciali privilegio exceptio doceri possit arg. cap. 17. & 24. eod. quod in tantum procedit, ut nequidem im-*

D 3

memo-

memoriali præscriptione quis se tueri olim potuerit dict. cap. 17. cap. 11. & cap. 16. x. de præscript. quod tamen hodie authoritate Trident. mutatum invenimus dum Sess. 24. cap. 3. de Reformat. Statuit. in iis vero locis seu provinciis, ubi consuetudo est, ut nec virtualia nec pecunia, ne quicquam solvatur aliud ipsis visitatoribus, sed omnia gratis fiant, ibi id obseruetur.

§. IX.

Procurationis nomine hic veniunt victualia, ad honestum victum pertinentia, pro ipso visitante, ejusque comitatu. Pabulum itidem pro equis & jumentis quibus utitur visitator; in quibus suppeditandis tam visitantis & visitati conditiones, quam locorum consuetudines erunt attendendæ. Vecturas verò hoc nomine non comprehendti, adeoque visitatas ad illas præstandas non teneri tradit Barbos, de off. & potest Episc. p. 3. alleg. 73. n. 57. ubi tamen addit limitationem, nisi visitans sit prælatus à lummo pontifice delegatus; hoc enim casu solvi debent mercedes equorum conductorum, insimul etiam viaticum, ut eo commodius de loco in locum transire possit.

§. IX

Sed anne etiam procurations in pecuniâ numerata exigi vel solvi poterunt? Relpond. Olim ab invitis procurations in pecuniâ numeratâ non poterant exigi, *cap. Relata. 10. quæst. 1.* à volentibus vero poterant recipi. *cap. Relatum. 10. quæst. 3.* Deinde autem in *cap. Romana. 1. §. procurations de censib⁹ in 6to.* Statuit Innocentius IV. pontifex ut visitator recipiat quidem procurations, secundum constitutiones antiquorum Canonum in victualibus moderatis, pecuniam tamen exigere vel etiam oblatam acceptare, nec ipse, nec aliquis ex ejus familiâ, occasione cuiusdam officii aut consuetudinis aut cujuscunque prætextū, ausit, ni malit incurrere maledictionem (intellige pœnam æternam, pro peccato mortali debitam; nam maledictio pontificis non inducit excommunicationem. *Pirring. ad tit. de Censibus. num. 62. in fine*) à quâ non absolvetur, nisi duplum percepti restituerit illis, quid dederunt. Quod statutum est, ut in omnibus visitationibus fraus exulet. *dict. cap. Romana §. procurations. de Cens. in Sexto.*

Innocentium. IV. securus Georgius X. in Consilio Lugdunensi (cujus tenorem vide in cap. Exigit. 2. de cens. in 6to) priori constitutioni firmius robur addere volens, decrevit : ut si quis non attento statuto Innocentii IV. pecuniam nihilominus vel ab invitatis extorserit, vel a volentibus receperit, nec duplum recepti intra mensem restituerit, si fuerit Patriarcha, Archiepiscopus, vel Episcopus, ingressu Ecclesiae sint interdicti, si inferiores visitatores, pralati: v. g. ab officio & beneficio erunt suspensi, usque dum quoad duplex Ecclesiis gravatis plenè satisfecerint, non patrocinante ipsis remissione, liberalitate, vel gratia dantium. cit. cap. Exigit. 2.

Ait, cum Bonifacius VIII. per ipsam rerum experientiam didicisset, praedictas Constitutiones non posse sine maximo, tam Ecclesiarum visitarum, quam prælatorum visitantium incommode ubique servari; considerando læpius nec tantas esse visitatorum Clericorum domos ut commode visitantes eorumque Comitatum capere possint, nec ipsorum supellectilem, ad eum ulum

7

usum necessarium, sufficientem. Ideo in cap. fælicis. 3. de cens. in sexto. ordinavit, ut Patriarchæ, Archi-Epilcopi, Episcopi, omnesque quibus jus & potestas visitandi competit, possint a Rectoribus Ecclesiarum vel locorum visitatorum, si pro sumptibus, ratione visitationis, moderatè faciendo certam pecuniam offerant, licite eam accipere. Ultra sumptus autem necessarios ipsis aliquid exigere non licet, penas alias supra dictas incurrent. Quæ Constitutio quoq; consilio tridentino placuit. Sess. 24. c. 3. de Reform. ibi: Caveant, ne ipsis, ad quos visitatio spectat, aut quisquam suorum, quisquam procurationis causâ, pro visitatione etiam testamentorum ad pios usus, præter id, quod ex relictis piis jure debetur, aut alio quovis nomine nec pecuniam, nec munus, quodcunque sit, etiam qualitercunque offeratur, accipient, non obstante quamcunque consuetudine etiam immemoriali: Exceptis tantum victualibus, quæ sibi, ac suis frugaliter moderateque, pro temporis tantum necessitate, & non ultra erunt ministranda. Sit tamen in optione eorum, qui visitantur, si malint solvere id, quod erat ab ipsis ante solvi, certa pecunia taxata, consuetum: an vero prædicta victualia

E

sub-

subministrare. Salvo &c. & Paulo infra. Quod si quisquam, quod absit, aliquid amplius in superdictis omnibus accipere præsumperit, is præter dupli restitutionem, intra mensem faciendam, aliis etiam pœnis juxta constitutionem concilii Generalis Lugdunensis, qua incipit. Exigit; nec non & arbitris pœnis in Synodo provinciali, arbitrio Synodi, absque ullâ spe venia, multetur.

§. XII.

Nec prætereundum esse arbitror, Praelatos teneri regulariter suas Ecclesias visitare personaliter, nec id munus alteri concedere posse, non enim hic locum habet regula; quod quis per alium facit, per se ipsum fecisse putandus; fallit enim, ubi personæ industria est Electa, quod quam maximè apud Episcopos & ordinarios factum esse censetur. Limitatur tamen etiam, nisi prægnans ratio & rationabilis causa subsit, sic enim licere ordinario visitationem alii demandare v.g. Vicario generali, patet ex cap. Episcoporum 10. quæst. 1. & concil. Trid. c. 3. in princ. sess. 24. de reform. Sed neque recipiet Episcopus procurationem si non visitet in persona propriâ. Sed visitans cap. si Episcopus 6. de off. ord. in 6. ne quidem à volentibus. Fagnang. in cap. procuraciones.

23. de

Qui enim non habet visitationis officium, nec debet recipere procurationis beneficium, *Fagnang. cit. cap. num. 6.* posse tamen privilegio sedis Apostolicæ aquiri jus accipendi procurationes, sive alium visitetur Ecclesia, textus est in extravagante: *vas. Electionis. de censibus inter communes. §. si vero.*

CAPUT V.

DE

Subsidio Charitativo.

§. I.

Discus hucusque Ordinariis exactiōnum speciebus, ad extraordinarias devolvitur Ordo, cuius species est subsidium charitativum, quod est: Exactio extraordinaria propter manifestam & rationabilem causam cum charitate à subditis postulata *cap. cum Apostolus 6. X. de Censibus exact. & procur. Ludov. Engel. in Collég. jür. Canon. Eodem tit. n. 8.* Dicitur autem subsidium quia petitur non sufficientibus Ecclesiæ redditibus prōpteribus incumbentibus. Exemplo actionis subsidiarie, quæ datur deficiente actione propriā. §. fin. *inst. de interdictis.* Quod si enim ex proprio

E 2

posit

possit Satisfacere ipse superior, non obligabuntur subditi ad præstandum subsidium. Charitatum dicitur, quia cum charitate à principio peti, non vero extorqueri debet. *cap. ex parte 18. x. de Censibus.*

S. II.

Exactio hujus subsidii jure Communi competit (1) Pontifici Romano ab omnibus Ecclesiis & Clericis totius mundi. Tum quia est ordinarius ordinariorum, & Episcopus universitatis Ecclesiae. *cap. 17. & 18. Caus. 9. quest. 3.* Tum quia liberam habet administrationem omnium Beneficiorum. *cap. licet 2. de præb. & dign. in 6. Clem. 1. in fine. ut lite pendent.* (2) Patriarchis, primatibus Archiepiscopis & Episcopis in suā Dicēesi (3) Electis etiam & confirmatis, licet nondum consecratis, non enim pertinet ad ordinem hæc Exactio. (4) Cardinalibus in Ecclesiis suorum titulorum, cum jurisdictionem, ceteraque jura Episcopalia in iis habeant. (5) Legatis Pontificis, plenæ legationis officium habentibus, cum ordinariorum jure quoque gaudeant. (6) Capitulo sede vacante. (7) Coadjutori Episcopo dato. *cap. is cui. de Elect. & Elect. potest. in 6.* (8) Ex Conſuetu-

37. 60

svetudine etiam vel privilegio prælatis Inferioribus, prout præfectum Generalem totius ordinis ab omnibus Monasteriis sui ordinis exigere posse tradit *Barbosa. de officio & potest. Episc. part.*
3. alleg. 87. n. 19. ubi num. 20. Subjungit eandem quoque facultatem competere commendatario perpetuo Ecclesiæ cathedralis.

§. III.

Moderatum tamen erit hoc subsidium, s^ta^que ex causa impositum, licet, quæ talis sit, in jure expressum non habeamus arbitrio igitur & conscientiæ superioris relinquendum putat *Panormitanus. ad cap. cum Apostolus 6. X. de cens. n. 5. & Engel in Colleg. jur. Can. adeund. tit. num. 9.* Quasdam autem, præ aliis, rationabiles esse, tradunt D D. Variasque species enumerat *Barbos. cit. loco. num. 26. usque 38.* Primo. Quando Episcopus facit impensis in consecrationem suam. (2) pro Resolutione debitorum contractorum in tuendo jure Ecclesiæ. (3) pro refundendis expensis, in tractatione negotiorum communium, sat. Etis (4) Si Episcopus sit iter facturus ad Pontificem, Imperatorem vel Regem pro communi utilitate vel totius Dioecesis, vel Ecclesiæ Universalis

E 3

(5)

(5) si visitare velit limina sancti Petri, prout singulis annis facere tenetur *cap. Exigit. q. de jure jurando.* (6) si velit ire ad Concilium Generale & Provinciale. (7) si secerit Episcopus impetas in adventum Imperatoris vel Regis. (8) si reditus non sufficiant ad sustentationem Episcopi. (9) Si Bellum fuerit motum ipsi Episcopo.

§. IV.

Quilibet autem ordinarius fundatam habet intentionem subsidium hoc petendi ab omnibus Ecclesiis & Clericis suæ dicēcessis. *cap. 16. in fin. X. de offic. jud. Ord. in tantum*, ut si justa de causa petitum fuerit, possit Episcopus refractarios & solvere renuentes ad id compellere, ipsos excommunicare, imo edictum proponere ut si clericus intra certum tempus istud non solverit sit incursum excommunicationem *Barbosa. de off. Episc. all. 87. num. 5.* Non obstante, quod sit auxilium charitatis, ad quod nemo cogitur. Nam dare Elemosynam est de lege charitatis, ad eam tamen tempore necessitatis pauperibus erogandam per judice poterunt cogi divites. Pro hujusmodi etiam subsidio charitativo relaxari posse executionem non obstante Appellatione tradit *idem*

39.

idem Barbosa loc. cit. num. 6. Nec contra illud
unquam procedere præscriptionem, cum ex na-
turali quadam æquitate & lege charitatis debea-
tur. cit. Barb. num. 25.

§ V.

Notanter dictum ab Ecclesiis & Clericis, La-
ici enim ab hujus præstatione sunt immunes, nec
subditorum vocabulo comprehenduntur in Cap.
cum Apostolus. 6. §. prohibemus X. de Censib. Cum
proprie & strictè loquendo Laici Dicecelani non
dicantur subditi Episcopi. Nec etiam indistin-
ctè ab Ecclesiis & Clericis peti potest. Etenim
cum hujusmodi subsidium peti debeat à personis
Clericorum, ratione beneficiorum suorum, ideo
Clerici nullum beneficium habentes, quantacun-
que ampla patrimonia possideant, ad id tolven-
dum nullo jure cogi poterunt. Multò magis
eximuntur Clerici ex beneficiis suis nil ultra ho-
nestum victum & amictum percipientes, ne ni-
mium graventur, si victus eorum minueretur.
Quod privilegium quoque extenditur ad illos,
qui ob bella continua vel alios casus fortuitos nil
ex beneficiis receperunt. Præ omnibus autem ini-
munitate gaudent Cardinales in Ecclesiis suorum

titulo-

titulorum. De exemptis quæritur, utrum obligentur ad illius solutionem & Resp. Quod si populum vel Ecclesias sacerdotes non exemptas habent, horum ratione teneri, de quo casu intelligunt DD. Clem. 1. & 2. de censibus. Si non habent, non tenebuntur pro se, juxta communiorum DD. modo tamen⁹ exemptio sit facta cum plenā libertate, cum hæc eximatur ab omni jurisdictione & lege diocesana Episcopi; Secus est si exemptioni adjecta sit clausula: *Volumus Ecclesiam hanc exemptam cum Charitate priori Episcopo remanere.*

§. IV.

Majorem movent difficultatem ipsa Monasteria, quæ cum communi Canonistarum Scholâ se exempta contendunt hac nixi ratione. Quod subsidium charitativum sit de lege diocesana, à qua se exempta esse dicunt per cap. ne pro cuiuslibet 16. quest. 1. cap. 1. X. de statu monach. cap. cum pro utilitate 16. quest. 1. Ast insipienti Textus istos satis patebit, in nullo de lege diocesana ex professo vel in loco proprio agi, sed incidenter tantum illius mentionem fieri, quales textus in jure alias fugitivos appellamus, & secundum illos non pro-

procedit Judicium, semper enim de materiâ aliquâ ex lede ordinariâ, non vero ex eo, ubi incidenter faltem ejus mentio fit, est judicandum.
Hoppius in suo comment. ad inst. in proem. §. 2.
 adeoque cum textus expressos non habeamus,
 Episcopus autem fundatam habeat intentionem
 super omnes Ecclesias & monasteria in Dioce-
 si suâ ratione jurium Episcopaliū, prout vi-
 dere est apud Pirring. ad decretal. tit. de Relig.
 dom. ut Episc. §. 1. num. 4. & cap. 17. 18. qv. 2.
 ideo vix errare putarem illum, qui contrarium
 teneret præsertim cum praxis hodierna accedat,
 nec hæc sententia plene aliena est à mente Cano-
 nonum, quod vel maxime patet ex Clem. frequens.
de Excessibus prælatorum. ubi inter excessus ordi-
 niorum numeratur, quod in exigendo subsidio
 charitativo ab ipsis monachis nimium excedant,
 ex quo argumento à contrario desumpto
 satis evincitur moderatum subsidium
 exigere licere.

F

CAP.

163 42. 20.

CAPUT ULTIMUM.

DE

*Contributionibus Clericorum potestati sa-
culari præstandis.*

S. I.



Ulm in præcedentibus exactiones à Cle-
riis Episcopo & Ordinariis præstan-
das pro virbus deduxerim, pro Co-
ronide ob materiae connexionem ad-
jungendum duxi *hoc caput* de contributio-
nibus potestati sæculari faciendis & utrum
teneantur ad onera publica sub enuda & illos
regulariter exemptos esse communiter statu-
itur. Ratio Exemptionis consistit in eo,
quod exigere collectas tributa vel contributi-
ones sit actus jurisdictionis in subditos, & indi-
cet subjectionem ipsarum juxta illud Apostoli ad
Roman.13. necessitate subditi estote ideo enim &
tributa præstatis. Sed an jure divino an verò jure
tantum positivo humano, id est, ex piorum prin-
cipium beneficio ac privilegio personis & locis piis
concesso hac immunitate gaudeant? non est
mei instituti, discutere, sed L. B. ad Theologos
& Canonistas remitto, præprimitis autem vid.

Barbos.

Barbos. jur. Eccles. univ. lib. 1. cap. 39. num. 1. &
 seqq. ubi latius hanc controversiam tractat, sufficiat ad nostrum præpositum, non tantum sacros Canones sub anathemare prohibere omnes, ne Ecclesiæ vel personas Ecclesiasticas exactionibus vel similibus oneribus gravare ausint cap. non minus & cap. adversus. X. de imm. Eccl. Barbos. de off. & potest. Episc. part. 3. alleg. 50. n. 197. Sed etiam i. plas leges civiles illas eximere, ut pater ex l. placet. 5. Cod. de sacros. Eccles. quam legem receptam & confirmatam videntius in cap. generaliter. 40. caus. 16. qu. 1. Antequam autem deducamus, in quantum obtineant hæ prohibitiones, & quas limitationes patiantur, Clerici autem non sint subjecti potestati saeculari, quædam de differentiis onerum quæ alias præstanta veniunt & de differentiis bonorum Ecclesiasticorum, ratione quorum onera præstantur vel non præstantur, prænotanda veniunt.

§. II.

Primo igitur bona Ecclesiastica in triplici sunt differentiâ, alia enim sunt bona consecrata, ut sunt templa, vel Ecclesiæ materiales, vestes & vasa sacra cæteraque instrumenta benedicta ad cultum divinum deputata; Alia sunt bona Ec-

F 2

clesia-

clesiastica, quæ benedicta vel consecrata non sunt,
 Ecclesiæ tamen propria, ut sunt prædia, fundi,
 domus &c. Alia denique sunt bona propria Clericorum, & hæc iterum sunt duplicitis generis,
 quædam sunt propriè Clericalia, intuitu Ecclesiæ
 vel tituli spiritualis acquisita v.g. ex decimationi-
 bus, aliisvè redditibus beneficiorum suorum; alia
 titulo temporali comparata, vel bona patrimonia-
 lia, quæ ex hæreditate, arte, vel labore, ipsis acces-
 serunt. Secundo, etiam onera tripliciter con-
 sideranda veniunt, quædam enim sunt mere perso-
 nalia, quæ à personis tantum & subditis sine Re-
 spectu ad bona patrimonialia imponuntur. e. g.
 Capitatio civium, quæ præstatur à subditis non
 attentis eorum bonis vel possessionibus. Quæ-
 dam sunt onera mere realia, qvæ veniunt præ-
 standa intuitu bonorum non attentâ qualitate
 possidentis, quæ onera regulariter perpetua sunt,
 semperque transiunt cum re ad quemcunq; pos-
 sessorem. Qvædam denique onera sunt mixta, qvæ
 personis imponuntur, intuitu tamen possessioni-
 num quas habent, & pro modo facultatum, ita ut
 immediate imponantur personis, mediare rebus,
 quibus præmissis ad propositum revertimur, &
 inpri-

in primis agemus de Ecclesiis, illarumque bonis,
dein de Clericis & bonis illorum.

§. III.

Bona Ecclesiastica ad cultum divinum depurata & consecrata immunia sunt ab omni præstatione tributorum, vectigalium, aliarumque exactiōnum à potestate sacerdotali impositarum. Tum quod sint res sacræ, tum quia non sunt res fructiferæ aliquorum proventuum temporalium, nec habent usum temporalem, sed sunt plane extra commercium humanum constitutæ c. 4. caus. 19. quest. 3. Bona Ecclesiastica non consecrata vel pertinent ad fundationem vel dotationem Ecclesiæ & sunt exempta ab omnibus tributis & oneribus laicalibus cap. 1. X. de Censibus. vel ex aliis causis vel titulis pertinent ad Ecclesiæ. Tum si onus ante acquisitionem ab Ecclesiæ factam jam fuerit impositum, Ecclesia quoque non habet privilegium exemptionis, cum res quævis transeat cum suo onere. Secus si libera ab oneribus acquisiverit, tunc enim Regulariter est immunis, nec tamen prius indistinctè verum, quia requiritur, ut onus quod sic impositum fuit ecclesiæ certum determinatum & perpetuum sit, secus si tem-

F 3

porale

porale & indeterminatum, in posteriori notanter dixi regulariter, publicam enim utilitatem & necessitatem hanc regulam limitare, clare docent l.5. Cod. de sacro se Eccles. ubi excipitur necessitas publica, & l.7. eodem ubi utilitas publica regulam limitat. Clericos non minus exemptos esse cum bonis suis unanimis verè Theologorum & Canonicistarum sententia docet, expressis satis textibus juris utriusque suffulti vid. cap. non minus 4. & cap. adversus 7. X. de imm. Eccles. l.5. & 7. Cod. de Ss. Eccles.

§. IV.

Ast etiam obstante videntur Textus juris Canonicī & civilis præprimis cap. si tributum 27. caus. 11. quest. 1. ubi divus Ambrosius ait: Si tributum petit Imperator, non negamus, agri Ecclesia solvunt tributum. Item c. Tributum 22. caus. 23. quest. 8. ubi Urbanus pontifex loquitur de exterioribus suis, quæ palam cunctis apparent, Ecclesia tributum reddit. nec non repugnare videntur c. sancitum caus. 23. quest. 8. & cap. 1. X. de censib. ubi in fine habetur: Etsi presbyteri amplius quid habuerint id senioribus suis debitum servitium impendant. Ex quibus videntur concludendum, Ecclesiæ &

Cle-

Clericosque cum bonis suis subjectos esse potest
stati Laicali. Sed Relp. Canonem primo allegatum
loqui de via facti, non juris, divus enim Ambrosius per verba superius memorata non approbat factum, quod Imperatores exigant, & Clerici præstent tributa, sed permittit tantum, ad evitanda forsan majora scandala & pericula, tum temporis Ecclesiæ imminentia, quod satis liquet ex verbis finalibus ipsius Canonis quæ sic sonant: *Si agros desiderat Imperator, potestatem habet vendicandorum, tollat eos, Imperatori non dono, sed non nego.* Verba Urbani in canone secundò allegato, nil aliud volunt, quam moribus antiquis tributa præstata fuisse, quando Imperatores Ethnicismo adhuc laborarunt, & Ecclesia privilegio immunitatis nondum gaudere poterat. Textrum ultimo citatorum sermo est de antiquis & realibus oneribus & privatis tantum, ibique per seniores intelliguntur domini antiqui, qui res suas cum onere transtulerunt in Ecclesiæ. Quæstionem hic prætero, utrum præscribi possit contra exemptionem Ecclesiæ vel Clericorum, cum apud Canonicas passim agiteretur. Interim

cum

cum certum sit quibusdam casibus hanc immunitatem cessare, de illis paululum agere mens est.

§ V.

Cessat autem ex tribus potissimum Capitibus. Si vel requirat utilitas publica, vel necessitas, vel si Clericus negotiaturam execreat. De utilitate quidem publica non omnes affirmant doctores, pro ut potissimum negat Pirrhing. ad decretales lib. 3. tit. 49' sect. 3. §. 4. num. 77. & seqq. Sed inhæremus potius legibus expressis. Etenim l. 7. Cod. de sacros. Eccles. clare ponitur: *ad instrutiones itinerum pontium vè etiam domos divinas & venerabiles Ecclesiastam laudabili instituto libenter adscribimus. & in l. ult. Cod. de quibus mun. præf. lib. 11. adjiciunt communiter provisio & murorum constructio, quæ leges prægnantibus satis rationibus fulciuntur, non enim Ecclesiasticæ personæ adeo sunt legibus civilibus exemptæ, ut non retmaneant membra reipublicæ, & fruantur commodis publicis, unde naturalis æquitas nil magis suadet, quam ut concurrant ad talia onera ferenda, ex quibus utilitas publica resultat.* Nec est quod objicias, Clericos plane non esse subditos principi sacerulari, per conseqvens illis nil posse imponi,

poni, de ijs quæ subjectionem præ se ferunt; Respondeo enim; Hujusmodi Exactiones non significare subjectionem, nec in signum ejusmodi solvi, sed præstari solummodo pro communi utilitate civium.

§. VI.

Fortius stringit publica necessitas, ubi cessat omne privilegium; periculum enim, quod omnibus imminet, ab omnibus debet præcaveri & propullari. Ideoque hâc urgente ad onera tam personalia quam realia & mixta tenebuntur Clerici, si inevitabile alias foret damnum publicum. Sic teneri Clericos ad depellendos hostes, excubias agere & muros defendere, si per Laicos tantum non possint sustineri incursus, docet cap. per venit. 2. X. de immun. Eccles. Quilibet enim tenetur Patriam defendere. Ex eadem ratione sunt obligati ad contributiones pecuniarias, angarias & perangarias, si evidens formido belli circumstrepit, quod maxime obtinet in expeditionibus contra Turcam, nemo enim privilegiatus dici potest, si universalis Ecclesia intersit & veræ fidei defensio quid exposcat, privilegia itidem alicui

G

con.

concessa non sunt extendenda ad necessitates im-
 provisas; Insuper naturalis ratio dictat, bonum
 publicum, quo salus & incolumitas reipublicæ, &
 utilitas omnium continetur, paucorum commo-
 dis præferendum esse. Et sane neque Clerum, neq;
 alium quemcunque quantumlibet privilegiatum
 abnuere posse, quo minus pro modo substantiæ
 suæ ad Expeditionem Turcarum contribuat ap-
 paret ex decretis comitiorum anno. 1500. §. Iem
 ist auch angesetzt / & passim anno 1542. §. wie-
 wohl in den Jüngsten. §. und nemlich sol-
 len, & §. Es sollen auch alle Thurfürsten.
 anno 1554. §. Zu diesen Thurfürstlich. vid. re-
 cessus Imperii de anno 1582. 1594. & 98. 1603. Certe
 enim quam maximè hoc exigit effusa Turcarum
 Rabies & virulenta Tyrannis, quæ æstuantis in-
 star & exundantis Oceani obvia quæq; perrumpit,
 disjicit ac depeculatur, Clerici igitur collatione
 facta commune periculum à patriæ Pomariis
 potius tempestive amoliri studebunt, quam cum
 amicis opibus perire, & tot Christianorum ani-
 mas rabiei Turcicæ relinquere.

Ad Clericos demum negotiatores deveniens
do, præsciendum, quod negotiatio duplex sit, alia
propriè dicta, quando res v. g. pannus, emitur, ut
carius vendatur, non mutatâ ipsius bonitate, &
hæc negotiatio proprie dicitur mercatura, alia
impropriè talis est, quando res emitur, sed ut
per industriam vel artem melior reddita iterum
carius vendatur v. g. si ex hordeo braxetur cerevi-
sia &c. quæ utraque in se considerata licita est &
moraliter bona, imo reipubl. admodum utilis &
necessaria, si debitè fiat & ad bonum finem ordi-
netur, Tum quia justum pretium rerum non
consistit in indivisibili, Tum quia pretia rerum
ob varias circumstantias augentur, quia tamen
per accidens occasionem præbet mendaciis, frau-
dibus ac injustitiis ob inordinatam quæstus cu-
piditatem vel alias circumstantias redditur sæpè
illicita, & mala. Ob quam causam etiam utram-
que legitimus Clericis prohibitam, de propria vix
dubium videtur, cum id expresse doceant. Tex-
tus juris Canonici c. conseqvens. 2. Negotiatores
g. c. fornicari. 10. Disib. 88. cap. secundum 6. X. ne
clericis vel monacib. hæc neg. se immunis. De im-

pro.

propria tamē vix aliud dicendum cum utraqve
contineat lucrum, & det occasionem mendacii
&c. imo maximam suspicionem cupiditatis &
avaritiae præ se ferat, quod si ergo Clericus negotia-
turā exercere præsumferit, privilegio Exemptionis
optimo jure privabitur, indignus enim est legis be-
neficio, qui in legem delinquit. Consequenter nec
erunt exempti Clerici negotiarores collectis aliisq;
oneribus publicis, puta vectigalibus &c. Nec in-
terest, utrum Clerici sint in majoribus ordinibus
constituti, Tum quod canones prohibeant Cle-
ricis negotiaturam indistincte, tum quod ratio
prohibitionis etiam procedat in Clericis Minorum
ordinum, quia nemo militans DEO se negotiis
civilibus immiscere debet. Sed Thesibus meis
finem apponam, concludo, optans ut B. L. eā hu-
manitate laborem meum suscipiat, qvæ candidos
animos ac ingenuos decet, id quod gratā æ-
ternum devenerabor mente.

F I N I S.



ULB Halle
005 355 346

3





DISPUTATIO INAUGURALIS
JURIDICO-CANONICA, 1704, 2

DE

LEGE
DIECESANA,

Quam

P. 360.
SUB PRÆSIDIO DIVINI NUMINIS
EX DECRETO & CONSENSU MAGNIFICI
JCTORUM ORDINIS
IN PERANTIQA ELECTORALI AD GERAM.
UNIVERSITATE

PRO LICENTIA,

*Summos in Utroque Jure HONORES & PRIVILEGIOS
LEGIA DOCTORALIA rite &
solemniter consequendi,
Publicæ Eruditorum Disquisitioni
submittit*

GEORGIUS FRANCISCUS
IGNATIUS ITTNER,

AA. LL. & Phil. Magister,
In Auditorio JCTORUM Collegij Majoris

Die 31. Maij, M. DCC. IV.

~~ERFFORDIAE~~ Literis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

KONFRIED
UNIVERS.
ZHALIE

C. 7. num. 26.

15